

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Level Two Medieval Latin Examination*

**17 April 2019**

.....  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
.....

**1. A defence of farmers by ‘Petronius Redivivus’**

Ad summam de ruricolis, quos sermone uulgari rusticos appellat uilipenditque superba tumentis uanitas nobilitatis, uel aliquid subiciamus. De his profecto, non minus ut reor uerax quam libens assertor, assero, eoque libentior forte quod a talibus natuam natus originem traho, quod inter homines sub sole soli uita uiuant minus uiciis abili.

Nec tamen inficiar quin ruricolarum multi in consuetudine sua uiuendi sint admodum uituperandi. Verumtamen pro maiore parte pulcro consuetudinaliter suos distingunt ordine dies. In primis quidem summo ruricola uino minime crapulatus esterno surgit diluculo. Deinde liminis in excessu crucis insignitus signaculo primum dei deuotus adit domicilium ruralibusque ceteras subsequenter laboribus non solum sibi sed humano generi profuturis diei concedit porciones. Fatigatus tenuem sobriamque uenit ad mensam. Ex paucis que manibus propriis arat iugeribus paterfamilias laboriosus pascit uestitque familiam. Nobili diuite deuocius largam pauperi porrigit manum, honeribus respondet patrimonialibus, angaria sepius per angariumque grauatur exactionibus, et quod est elegancius, religiosus est et rectus in decimacionum prestacionibus. In suspiriis uitam transigit matrimonialibus. Sua solummodo se post uxorem solatur in sobole. In necessitatibus summam sola spem ponit in diuinitate. Sicque beatissimam mundiciis uirtutibusque comitatam dicere non erubescerem ruricola uitam.

## **2. Erasmus on the perils of winter travel**

Pervenimus tandem et quidem incolumes, tametsi inuitis (vt appareat) et superis et inferis. O durum iter! Quem ego posthac Herculem, quem Vlyssem non contemnam? Pugnabat Iuno semper poeticis viris infesta; rursum Aeolum sollicitarat; nec ventis modo in nos saeuiebat, omnibus armis in nos dimicabat, frigore acerrimo, niue, grandine, pluua, hambre, nebulis, omnibus denique iniuriis. Hisque nunc singulis nunc vniuersis nos oppugnabat. Prima nocte post diutinam pluuiam subitum atque acre obortum gelu viam asperrimam effecerat; accessit niuis vis immodica; deinde grando, tum et pluua, quae simul atque terram arboremue contigit, protinus in glaciem concreta est. Vidisses passim terram glacie incrustatam, neque id aequali superficie, sed colliculis acutissimis passim extantibus. Vidisses arbores glacie vestitas adeoque praessas vt aliae summo cacumine imum solum contingerent, aliae ramis lacerae, aliae medio trunco discissae starent, aliae funditus euulsae iacerent. Iurabant nobis e rusticis homines natu grandes se simile nihil vñquam in vita vidisse antea.

## **3. On beasts and bishops, from the Life of St Maximin by Lupus of Ferrières**

Erat ei sollemnis consuetudo sanctorum lustrare memorias eorumque opem summissis precibus flagitare. Cuius rei gratia cum Romam tenderet, opinatissimum confessorem Martinum convenit; iunctique summi pontifices, divinis rebus intenti, laborem itineris non ut alii sentiebant. Illis itaque in ulteriora progredientibus, forte asellum, qui sarcinas beatorum ferebat, ursus offendit eumque protinus devoravit. Hic Maximinus in nomine Domini ferae dicitur imperasse, ut, quia iumentum non abegerat, sed consumpserat, ipsa iumenti onus assumeret: illam e vestigio successisse oneri, et quoad reversi ad locum qui Ursarii villa dicitur devenirent, subvectioni mansuetissime famulatam, ibique a sancto viro pristinam vagandi potestatem recepisse, prius tamen licentia quemquam laedendi erupta. Verum, quia, ut pravi sibimet sunt graves, ita boni suo semper delectantur consortio, sanctus Maximinus beatum Martinum Trevirorum urbem secum coegit invisere suoque populo duplicata benedictionis revexit commercia. Ibi Martinus spiritalem sibi filium Lubentium Maximino erudiendum commisit, cuius ille parens voluntati, et eum sacris instruit litteris, et imposito gradu presbyterii, in vico cui Cubruno vocabulum est praefecit.

#### **4. Naples is besieged by Henry VI (Petrus de Ebulo)**

Machina construitur celsis se menibus equans,  
Porrigit ad lapides brachia longa graves.  
Ex hac Colonii pugnant, hac parte Boemi,  
Hac dux Spoleti menia temptat eques;  
Ex hac turma virum plenis succincta pharetris  
Pugnat, et hac equitum plurima tela micant.  
Hic notat in muro sinuato cominus arcu  
Mussantem cupidum bella videre virum;  
Hic alium fantem convicia plura minantem  
Colligit, et medio corrigit ore minas.  
Unus erat qui saxa suos iactabat in hostes,  
Vocibus insultans talia verba dabat:  
“Iam sine cesarie, vel iam sine Cesare facti,  
Vix alacer de tot milibus unus erit;  
Noster, si qua potest, Augustus more leonis  
Augustum vestrum tondet et eius oves.”  
Hunc aliquis fantem, baliste cornua flectens,  
Percutit, et summa lapsus ab arce ruit.